



**Commentarius de Kalendario, quae eius prima origo, ut paullatim id luxatum, an item et quomodo sit restituendum, in novam pontificiam kalendarij deformationem. Scriptus in Naeapolitana Nemetum schola, reognita auctusq[ue] in Latinum ex Germanico sermone translatus.**

<https://hdl.handle.net/1874/423584>

92

9

COMMENTARIUS  
DE  
KALENDARIO,

QVAE EIVS PRIMA  
ORIGO, VTPAVLLA  
TIM IDLVXATVM, AN ITEM  
ET QVOMODO SIT RES  
stituendum,

IN NOVAM PONTIFICIAM KALENDARII  
deformationem

Scriptus in

NEAPOLITANA NE METVM  
Schola, recognitus auctus q̄, & in Latinum ex  
Germanico sermone translatus.



Heidelbergae excudebat Iacobus Mylius

M. D. LXXXV.

AMPHITRARIUS  
ET  
KALENDA

QUAE  
A  
GREGORIO  
CALISTO  
PAPAE  
SEXTO  
IN  
HONOREM  
SANTAE  
TRINITATIS  
CONSTITUTA  
EST

IN  
HONOREM  
SANTAE  
TRINITATIS  
CONSTITUTA  
EST



IN  
HONOREM  
SANTAE  
TRINITATIS  
CONSTITUTA  
EST

3  
T Y P O G R A P H V S  
L E C T O R I S .



**Q**UANTA SIT KALENDARII, ut vocant, ad recte obeunda omnia in hac hominum consociatione negotia, non utilitas tantum, verum etiam necessitas; satis euidenter cum omnium temporum Historia, tum vero nostra huius aetatis experientia restatur & demonstrat. Nec vero noua est de Anni publice suscipienda & perficienda emendatione quaestio & deliberatio, nec vnus ea alicuius Magistratus, nedum sola Papae Romani, auctoritate & iudicio, sed vnanimi omnium Christiani praecipue orbis Regum & Principum consilio, opera, consensu & sumtu, adhibitis etiam ad rem hominibus rerum Mathematicarum intelligentibus, & nihil nisi publicam utilitatem, non priuatam gloriam, opes, & potentiorum gratiam ac fauorem callide & adulatorie, & cum aliarum gentium prauiudicio & detrimento, spectantibus, instituenda ea fuerat & absoluenda, & in effectum, publicumque usum debito legitimoque modo deducenda. Cum ergo annis abhinc fere duobus Papa Romanus, suo priuato iudicio & falso ac inique sibi vni arrogata auctoritate, in lucem emisisset, re prius cum Romani Imperij Electoribus, aliisque Principibus non communicata, suam illam Nouam & subitam, praecipitatamque Kalendarium, quod nunc Gregorianum quidam vocant, Deformationem, eamque auita & supersticiosa quadam erga falso sic dictam Apostolicam sedem, hoc est, Romani Antichristi Tyrannicam & idololatricam curiam, reuerentia & obedi-

A ij. dientia

*diētia studio, non pauci & in Germania, & extra eam Principes & Ciuitates amplecterentur & sequerentur; non defuerunt passim viri docti, qui rem quidem ipsam, iam multis agitatam deliberatamq; seculis, nunquam tamen ita, ut oportuit, decisam, hoc est, veram & legitimam Kalendarij emendationem, eiusq; perficiendae studium magnopere probarent, modum verò hunc & inexpectatam decem simul dierum ex Octobri anni 82. violentam ab adulatoribus Gregorij XIII. factam exterminationem, in qua modum Medicina excessit, & malum malo non curatum & emendatum, sed mutatum tantum, atq; adeò priore etiam deterius factum esse, res ipsa indicat, vehementer, nec iniuria, iustissimis & grauissimis adductis rationibus improbarent & reprehenderent, nec hoc tantum contenti, meliorem etiam, commodiorem, & vel ferè nullam, vel talis saltem, quae vix ac ne vix quidem, à vulgo sentiri ac obseruari posset, mutatione coniunctam Kalendarij emendandi & ad Solis motum propius accommodandi rationem viamq; publicè editis scriptis proponerent. Inter ceteros prodijt etiam tunc ex Neapolitana Nemetum schola, breuis, sed eruditus, & magno cum iudicio, diligentia & moderatione, Germanicè de hac quaestione scriptus libellus. Hunc cum viris doctis, grauibus, cordatis, & huius controuersiae peritis valde placere & probari, ideòq; aliquoties recusum, & non multò post in gratiam & usum exterarum quoq; Nationum, Germanicè neosciantium, in Latinam linguam translatum esse intellexissem, nactus translationis illius exemplum, meo illud typis describendum & ex mea officina diuulgandum curauit. Tuum erit, amice & candide Lector, hanc & Auctoris, & Interpretis, & meam hac in re operam boni consulere, & in optimam accipere partem, tuoq; commodo ea grato animo uti, frui. Bene vale.*

Commen-

# COMMENTARIUS DE KALENDARIO &c.



**T**emporis rei vnius omnium pretiosissimæ & carissimæ notatio & partitio, omni hominum generi in quibuscunq; actionibus & negotiis, Ecclesiasticis, politicis, urbanis, rusticis, publicis & priuatis non solum inprimis est utilis & necessaria, verum etiam eximium quoddam decus & ornamentum. Quare & antiquissimus ille primusq; omnium nostrum parens & protoplastus Adamus, sibi suisq; inde vsq; ab ultimo mundi principio, certam constantemq; distinguendi partiendiq; temporis rationem & mensuram, Diem videlicet, Hebdomadem, Mensem, & Annum excogitauit & vsurpauit.

Diem definiuit spatio ab vno Solis occasu ad alterum vsq; proximum: Hebdomadem ab vno ad alterum Sabbatum, quo ad exemplum & imitationem Dei, à laboribus suis quiescens, & quæ ad religionem cultumq; diuinum pertinebant, exsequens, Deo pro creatione & reliquis omnibus cum exhibitis, tum promissis beneficijs egit gratias, liberosq; suos & familiam his de rebus erudijt & instruxit. Mensium quantitatem à Luna, Anni, à Solis cursu desumpsit, idq; Dei ipsius mandato, id quod cognosci statuiq; potest ex primo Mosis

libro, vbi Deus duo magna luminaria præter reli-  
 quas stellas in Coeli firmamento collocat, vt sint  
 signa temporum, dierum & annorum.

Quòd enim certa Anni mensura ab Adamo &  
 eum secutis Patriarchis vsurpata fuerit, manifestè  
 ex longi illius temporis, quo in terris illi vixerunt,  
 descriptione per annorum notationem & nume-  
 rum confecta perspicitur. Ac quoniam in Diluuij  
 historia mensium fit mentio, & quo Noha mense  
 in Arcam ingressus, quo ex ea egressus sit, quo  
 item aquæ creuerint, quo decreuerint, exprimitur,  
 patet hinc, iam tum mensium obseruationem  
 apud ipsos vsu fuisse receptam.

Vt autem velociorem Lunæ cursum cum tardi-  
 ore Solis aliquo modo exæquarent, cum duode-  
 cim Lunationes, iustam anni mensuram non ex-  
 plerent, tredecim verò, excederent; plerunq; duo-  
 decim, interdum tredecim, ad anni quantitatem  
 definiendam vsurparunt, atq; ita inæquales con-  
 stituerunt annos, certa stataq; ac constanti die an-  
 num neq; ordientes, neq; terminantes.

Atq; hæc temporis partitio, discrimen & ordo,  
 quem hodie Kalendarium appellamus, non so-  
 lum in populo Dei postea à Mose confirmata,  
 in eo continua successione permansit; verum  
 etiam ij, qui ab Ecclesia illa Dei sese segregan-  
 tes, peculiarem sibi religionem finxerunt, eun-  
 dem vel retinuērunt, vel receperunt, veluti Sy-  
 ri, Chaldæi, Persæ, Indi, Arabes, Ægyptij, Græci,  
 Romani, qui tamen ipsi diuersum inter se anni  
 initium & exitum constituerunt, ita vt alij à Vere,  
 alij

7  
alij ab Autūno, alij à Solstitio æstiuo, alij à Bruma  
annum ordirentur, eundemq; varijs modis com-  
plerent. A Romanis primæ ibi Christianæ Ecclesiæ  
Kalendarium acceperunt, idémq; vnà cum religio-  
ne ad nos vsq;, Dei beneficio, propagârunt.

Res verò de Romano, & nunc nostro etiam Ka-  
lendario ita habet:

Cùm Iulius Cæsar, parta de hostibus suis victo-  
ria, circa annum ante Christi natiuitatem quin-  
tum & quadragesimum, solus rerum in Imperio  
Romano potiretur, in eóq; multa præclarè & utilis-  
ter constituere anniteretur, simúlq; naturali quas-  
dam propensione, & peculiari studio atq; amore  
inquirendi obseruandiq; cœlestium corporum  
motus teneretur: Kalendarium, quippe quod ex  
cœlo dependet, in meliorem redigere formam &  
emendare instituit.

Hoc enim, quale tunc Romani vsurpabant, à  
Pontificibus erat corruptum & deprauatum, eò  
quòd soli hi id tractantes, ex eo, quidquid, quo-  
ties, & quomodo ipsis collibuisse, populo propo-  
nerent & mandarent, annúmq; in gratiam & com-  
modum Publicanorum, Fœneratorum, Mercatorum,  
& aliorum, vel decurtarent, vel prolongarent,

Quo sanè modo Kalendarium in ἀταξία & per-  
turbationem intolerabilem adduxerant.

Euocauit itaq; Iulius ex Ægypto, vbi hæc sciens-  
tia præcipuè excolebatur & vigeat, doctissimos  
homines & peritissimos artifices, qui Annum,  
cuius exordium antè à Nouilunio semper sus-  
mebatur, ideóq; incertum erat & inconstans,  
deinceps



deinceps ad Solis solius circumuolutionem, nulla habita Lunæ ratione, dirigerent & accommodarent.

Hi re diù multumq; & accuratè inquisita & expensa, anni quantitatem iuxta Solis cursum computatam, trecentis sexaginta quinque diebus & horis sex definitam constituerunt.

Qui dierum numerus in Kalendarium relatus, in 12. distribuebatur partes, quas, licet improprie, Menses appellarunt. Annum à Bruma ordiebantur, cum Sol; postquam longissimè à Zenit versus Meridiem descendit, extollere se rursus, & ascendere incipit. Sex illas horas, quæ quotannis integrorum dièrum numerum excedunt, iusserunt per annos quatuor continuos accumulari, ita ut 24. horæ, hoc est, integer dies ex his confectus, quarto quoq; anno in finem Februarij conisceretur & interkalaretur.

Ceterum, ut simul quoq; Lunationum seu mensium ratio quouis tempore nota esset & expedita, numerum quendam, apud Ægyptios & Græcos iam olim vsitatum, propter insignem eius & euidentem utilitatem, aureis characteribus in Kalendarium curauit inscribendum, qui Aureus numerus appellatus, Nonilunium indicabat.

Quæ præterea de diebus Festis, alijsq; Romanorum consuetudinibus, in Kalendario illo fuerint annotata & descripta, ea hoc loco commemorare neq; utile est, neq; tempestiuum.

Hoc Kalendarium, ut dictum est, propter summam eius commoditatem (exclusis Ethnicis pro-

profanisq; abusibus ) à Christianis illie degenti-  
 bus probatum & acceptatum, deinceps vnà cum  
 propagato longè latèq; Christianismo, in has vsq;  
 terras ad nos quoq; peruenit, non tamen tanta  
 Diuorū & Fariatū multitudine, vt nunc est, con-  
 stipatum, quas postea Romani Pontifices, alij post  
 alios, in illud infarserūt. Ac iam per mille circiter  
 annos hoc ipsum *Kalendarium* ad multa & vtilia in-  
 stituta ac *εὐταξία*, præclarā nobis nauauit operā.

Meritō itaq; Iulius, etsi alioqui plus mali, quàm  
 boni fecerit, laudatur & prædicatur, vt autor & ef-  
 fector tam præclari ac salutaris & summo digni  
 Principe operis, nobiscum & cum multis alijs Po-  
 pulis communicati.

Atq; adeò tanta est Iuliani huius operis præstan-  
 tia, dexteritas, commoditas, facilitas, & in vsu quo-  
 tidiano etiam iucunditas, vt Græcos ipsos, homi-  
 nes ingeniosissimos & in omni artium scientiarumq;  
 genere excellentissimos in summam meritamq; e-  
 ius rapuerit admirationē. Nihil enim hi, licet sum-  
 ma fruētes & diuturna pace ac quiete, & otio in  
 sapientiæ studijs abundantes, excogitare potue-  
 runt & perficere tale, quale hic inquietissimus, ne-  
 gotiosissimus & occupatissimus bellator præclare  
 & laudabiliter instituit & ad effectum perduxit.

At verò per mille sexcentos hosce proximos an-  
 nos, inde à Iulij, ad nostra vsq; hæc tempora, eui-  
 dentissimis certissimisq; deprehensum est indicijs,  
*Kalendarium* hoc, licet omnium optimū & com-  
 modissimum, tamen cum Solis cursu & vera anni

B quantis

quantitate, exactè, vt oportebat, non congruere; sed quinta circiter vnus horæ parte, iusto esse longius, hoc est, à Sole suum circulum, quinta horæ parte citius peragrari, quàm Kalendarium finiatur. Vnde fit, vt quarto quoq; anno vnâ horam, minus quinta eius parte, inseramus Februario amplius, quàm oportebat.

Hinc adeò factum est, vt *Æquinoctium Vernum*, quod Iulij ætate in quartam vel quintam & vigesimam Martij diem incidebat, hodie in vndecimam vel decimam eiusdem mensis incidat diem, vtq; *Bruma*, quæ tunc in sextam & vigesimam incurbat Decembris, nunc in duodecimam eiusdem incurrat; atq; ita reliqui etiam omnes *Kalendarij dies*, procul ab illo deflexerint & discesserint tempore, in quod principio destinati fuèrant & collocati, singulis nimirum centenis vicenisq; annis, propè integri diei interuallo.

Et profectò, si modò hoc cœli terræq; *οὐρανὸς* tanto duraturū est tempore, ac nisi huic incommodo & defectui obuiam eatur, vsuueniēt, vt per continuam hanc & perpetuò progredientem anticipatorem, *Æstiuæ feriæ*, & *Agricultorum obseruationes* & notæ, ad quas illi operas suas dirigūt & accommodant, in hiemem, contrâq; *Hibernæ*, in *Æstatem* transferantur. Quod incommodum & *ἀταξία* futurâ vidit fortasse Iulius statim à principio suæ *Kalendarij emendationis*, sed neglexit idè, quòd aliam comodiorem anni constituendi, definiendiq; rationem invenire & excogitare non potuerit, & ni fallor, nemo etiam alius vnquam poterit.  
Forte:

Fortè etiam ita secum statuit, futurum, vt postea huic incommodo, quoties vsus & necessitas id postularent, quàm fieri posset commodissima emendatione occurreret & mederetur. Quòd si hoc incommodum & defectũ non animaduertit, sed imprudens admisit, non solùm est æquum, vt facilem huius errati à prudentibus rerũ estimatoribus impetret veniam, verùm etiam non leui est dignũ admiratione, ipsum & illos, quorum est vsus opera & consilio, in re tam ardua, subtili, multisq; implicata difficultatibus, scopum ad eò propè attigisse.

Præter hunc defectum, qui ad Solis cursum, & anni rationem attinet, irrepsit etiam sensim alius, quòd scilicet Aureus numerus Nouiluniorum index, ab eisdem inde à Iulij ætate ad nostram vsq; quinq; dierum interuallo discesserit.

Qui defectus vnà cum priore, magnam parit in Paschaliũ, aliarũq; quæ à Paschate dependent, & ex eo oriuntur, feriarum ratione perturbationẽ & inæqualitatem, vt pote quæ, eò quòd ad Lunationem, quæ vaga & instabilis est, diriguntur, nullam certam fixamq; in Kalendario nec habent nec retinent diem. Causa autem huius deflexionis Aurei Numeri à Nouilunio hæc est.

Aliquam multis annis Nouilunia non in eundẽ diem, in quo fuerãt proximè præcedente anno, sed in alium longè ab illo remotum redunt diem, & quidem semper prius, quàm antè, diebus circiter vndecim.

Artifices verò illi, quorum opera hanc ad rem utebatur Iulius, ita suas inièrunt & statuerunt ratio-

nes, vt post decimum nonumquemq; annū Nouilunia pristinam suam in cœlo sedem recuperarent: quod est fundamentum, cui innixi Aureum numerū in Kalendariū retulerunt. Post eā verò diligentiore obseruatione & experiētia Magistra deprehensum est, nouemdecim illos annos exigua quadam particula esse maiores, quàm quantum Nouilunia ad recuperandum pristinum suum locum requirant, ita nimirum, vt post annos trecentos Nouilunia à suo numero retrorsum, hoc est, versùs Kalendarij initium, vnum diem prorepererint. Itaq; fit, vt Numerus hic, nisi post exactum trecentissimum quemq; annum, vno gradu transferatur, falsus & fallax Nouiluniorum existat index. Quod quoniam non factum, simulq; admissa etiam est illa Kalendarij à Solis motu, non satis accuratè obseruato, discrepantia, causa exstitit, vt suprà dictum, introducti crassi in ferias Paschales erroris.

Propter quas Paschales ferias, antequàm hodie vsitata, eadēq; nunc erronea, lex de eis ferretur, exortum est non multo post Apostolorum ætatem tempore, inter Orientales & Occidentales Ecclesias, diuturnum quidem, minimè tamen necessarium & nullius ferè momenti certamen, his Paschales ferias Dominica proximè Pascha Iudaicum sequente, illis eas ad Iudæorum morem & exemplum, in plenilunio, quod vel in ipsum Equinoctium vernum incidebat, vel idem proximè sequebatur, celebrantibus. Propugnabat pars vtraq; suam opinionem & consuetudinē acerrimè; altera alteram, vt hæreticam, damnabat & excommunicabat,

muniebat, non aliter, atq; si hac in re salus & incolumitas totius Christianæ religionis esset sita. Durauitq; hæc verè de lana caprina, vt dicitur pro uerbio, lis & rixa, ad Nicænum vsq; Concilium à Constantino Imperatore, anno post natum Christum 328. congregatum, in quo hæc controuersia ita sopita est & composita, vt deinceps Pascha ab omnibus simul celebraretur Dominica proximè sequente plenilunium, quod in vernū Equinoctium incurreret, vel illud proximè sequeretur. Atq; ita Victor Papa contentiosissimus & mordacissimus palmam obrinuit.

Vt autem quouis tempore, certò & sine vlla controuersia constaret, in quam diem, Equinoctium Vernum & Nouilunium Paschalis Plenilunii incideret, idem illud Nicænum Concilium consilio & arte Astronomorum, Equinoctium Vernum in diem 21. Martij constituit, & Nouilunia Aureo numero notauit, qui in vniuersū est 19. ascriptusq; est ad primam Martij diem ternarius, ad tertiam 11, ad quintam 19. ad sextam 8. &c. Atq; inibi ex duobus hisce incertis fundamentis regulæ exstructæ sunt, secundum quas Pascha computatum celebraretur.

Quas regulas nos hodièq; sequimur quasi veras certasq; cum tamen ante complura secula incertæ fuerint & falsæ. Nam inde vsq; à Nicæno Concilio, Equinoctium à 21. Martij amplius decem, Nouilunia plus quatuor diebus retrocesserūt, & nos interrim nihilominus ita Pascha nostrū celebramus, atque si Equinoctium in 21. Martij etiam nū cadat,

& Nouilunium cum Aureo numero congruat.

Vnde efficitur, vt Pascha sæpè quatuor vel quinque hebdomadibus seriùs, quàm oportebat, celebrantes, ipsum iusto longiùs in Æstatem proferamus, idq; contra non tantùm Patrum Concilij illius mentem & sententiam, verùm etiam præter nostram ipsorum opinionem.

Qui profectò patres, cùm deprehendissent, Kalendarium inde à Iulij temporibus ad suam ætatem per 370 annos, à Solis cursu quatuor, à Lunæ, vnum diem deflexisse, non dubium est, quin hæc ipsorum mens fuerit, vt, quemadmodum ipsi fecissent, ita eorum posteri, huiusmodi errorem, suo tempore corrigerent & emendarent.

Hanc igitur erroris emendationem, hisce proximis ducentis annis, Papæ aliquot in mentem sibi reuocârunt, & Kalendarium integrum restituere sunt conati, sed nemo exijs cogitata perfecit.

An verò modernus Gregorius XIII. in tantis tamq; varijs distractionibus, iustèq; ac multis modis benè pro merito, Papæ & eius constitutionum contemptu, nouum vel emendatum Kalendarium possit in publicum introducere vsum, hoc res & exitus indicabunt. Quòd si priores Pontifices, cùm sua ipsis adhuc facta testata constabat auctoritas & Maiestas, rem hanc perfecissent, iam non laboraretur.

Nunc verò in eum Pontificia Sanctitas deducta est locum, vt, post detectam toti q; mundo patefactam fraudem & nequitiam, quam longo iam tempore sub larua, nomine & specie Christianæ Religio.

nã Religionis exercuit, adeó reddita sit exosa &  
 abominabilis, cum plerisq; alijs Regionibus &  
 Populis, tum inprimis Germaniã, vt, quidquid à  
 Pontifice & Roma proficiscitur, etiamsi bonum sit  
 & vtile, tamen non secús, atq; ab ipso emissum Di-  
 abolo, & Tartaro, reijciant & deuitent. Quam-  
 obrem & verisimile videtur, Pontificem hunc, pro-  
 mulganda tam subito & tam *αὐτόματῶς* hac anni Re-  
 formatione, ostendere voluisse, Hæreticos Germa-  
 nos nequaquam tanti à se æstimari, vt eos in insti-  
 tituendo promouendoq; hoc opere, voluerit con-  
 sulere; quod tamen maiores ipsius facere non sunt  
 dedignati, qui per litteras à Principibus Germanis,  
 eorūdemq; Academijs, de publico hoc & ad omnes  
 attinente negotio, Consilium & Iudicium ipsorum  
 etiam sub inobedienciã & excommunicationis  
 pœna expetuerunt. Quin deliberationibus hu-  
 iusmodi semper interfuerunt præcipui Cardinales  
 & alij doctissimi quiq; Germani, à quibus quidem  
 ipsis, Itali, quidquid hac in re nõrunt & profiten-  
 tur, didicerunt, vt vt hoc ipsum fateri nolunt, & glo-  
 riosè maximos labores & sumtus, quos in hanc  
 impenderint Reformationem, prædicant & ia-  
 ctant. Fortè etiam putauit, præuiditq;, fore, vt non  
 minùs in hoc, quàm in alijs negotijs, ipsi obedire  
 detrectarent.

Quamobrem Reformationem hanc suam per  
 suos priuatim confectam, suis subditis, & præter  
 ceteros dilectis filijs amplectendam iniunxit, idq;  
 hac opinione, vt videtur, & spe, futurum videlicet,  
 vt hæretici, vitandæ, per suas ditiones *ἀταξίας* &  
 perturbacionis



perturbationis causa, quæ ex inæqualitate & discrepantia Kalendariorum in quotidianis vitæ communis negotijs & contractibus exortura sit, suam hanc Reformationem, etiam inuiti recipere & sequi cogantur, præsertim cum iuxta & circum se habeant tot tantosq; Episcopatus, quorum, vt vicinorum, societate & communicatione carere nequaquam possint.

Spero tamen, Germanos nostros Prælatos hanc innouationem non ita facilè & citò, sine Principum & ordinum Protestantium consensu, in suos seorsum vsus, in Papæ gratiam accepturos, quum nihil vnquam à Papa commodi & vtilitatis, contra verò Papa ab ipsis iam nimis longo tempore, plurimos amplissimosq; præter suum meritum perceperit fructus, quotidie etiam minus minusq; ipsis præsidij ab illo veniat expectandum: Sed potius tandem aliquando in mentem sibi reuocatos, secumq; ita statuturos? Cur tandem quidquam nobis Germanis intercedat deinceps rei & commercij cum superba ista, dolosa, perfida, proditoria, sanguinaria, Sodomitica, profana, impia colluue fecis Pontificiæ in yrbe Roma, in Italia? Cur horum in nos imperium vel potius tyrannidem feramus? Cur nostram ipsis transmittamus pecuniam, qua ad luxum & voluptates suas explendas, turpiter abutantur, & insuper nobis insultantes, brutas nos bestias, ebriosos Porcos æffiment & appellent?

Confidòq; eosdem illos Germanos Prælatos operam daturos, & cum in hoc, tum in alijs omnibus

bus negotijs eò sua directuros consilia, vt porrò discordijs & distractionibus communis patriæ occurratur; concordia verò, fides, & amica animorum coniunctio contra communes hostes restitatur & conseruetur, & subditi non solum in politicis negotijs non turbentur, verum etiam in Ecclesiasticis nulla ipsdem scandali materia & occasio præbeatur, quorum sanè plurimi magis Paschaliū & Natalitiarum feriarum, quàm fidei & doctrinæ discrepantia offensi fuerint. Quod quidem licet minimè in illis sit probandum, tamen hoc quoq; negari non potest, nullam ipsis à vera Dei agnitione & cultu, magis magisq; sese alienandi, præbendam esse occasionem, sed eò potiùs, quoad eius fieri potest, omnia dirigenda esse consilia & actiones, vt ad Deum adducti æternam consequantur salutem, iuxta Pauli exemplum, qui infirmis multa se condonasse & in ijs tolerasse, seq; ad mores captumq; ipsorum accommodasse ait, vt Christo lucrifcerent. In spem quoq; venio certissimam, Illustrissimos nostros Principes, hac in re debitam adhibituros moderationem & æquitatem, nec quidquam, quod ad Christianam concordiam & *εὐταξίαν* faciat, in se desiderari passuros, ita vt vel vnà cum Episcopis, hoc Papæ reformatum Kalendarium recipiant, vel vetus non mutatum retineant, vel deniq; illud commodiore ratione, quàm à Pontificia factum est sanctitate, mutant & emendent.

Męo quidem iudicio, sine difficultate & mo-

C

lestia

lestia possent Germaniæ nostræ Principes hac in re in suarum ditionum usum, peculiarem instituere & conseruare viam ac modum, & eo ipso Romanensibus ostendere, domi se habere, huius scientiæ peritos artifices, minimèq; hac ipsorum Reformatione indigere, quibus ipsis multò sit vtilior magisque necessaria suî, quàm Kalendarij reformatio. Nam quod ad exterarum finitimásq; attinet nationes quæ sua in Germania habent commercia, nostrorumq; frequentant nûdinas, possent illæ, nostrum, nostri verò, qui suas apud illos exercent negotiationes, ipsorum sequi Kalendarium, donec fortè tandem aliquando illi se hac in re ad nos accommodarent, cum alioquin maior eorum pars inuita nouum hoc Kalendarium receperit.

Ceterum quænam ex tribus de Kalendario iam expositis rationibus, optima sit & commodissima, de eo breuiter meam candidè & beneuolè explicabo sententiam. Quod sanè non minùs mihi facere liberum esse debet, quàm alijs simile quid præstare nequaquam est interdictum. Equidem nemini hîc quidquã præscribo vel præcipio; moneo tantùm & expono, quid mihi videatur, quod si nihil profuerit, certè nihil etiam obfuerit. Attamen sæpè etiam est olitor valdè opportuna locutus.

Quando ergo, vt suprà dictum constitit & negari omninò non potuit, errorè qui in Kalendarium irrepfit, tandem nimis crassum & notorium esse factum; institutæ fuèrunt de medicina huic malo paranda, in aliquot Concilijs deliberationes, sed, vt sit, nihil vnquam certi definitum fuit & cõclusum,

nec in effectum deductū, veluti in Concilio Constantiæ, anno 1415 celebrato, quod redigendis in ordinē aliquot Pontificibus, qui, ut inter plures in vno alueāri, Apum duces vsu solet venire, inter se infestissimis animis de Pontificatu cōcertabant, & exurendis Doctoribus, viris bonis & innocentibus, adeò fuit occupatum, ut huic rei pertractandæ conficiendæq; vacare non potuerit.

Sequitū est 17 post annis Concilium Basileense, in quo tantundem etiam hac de re tum proposita actum est. Triginta post iam dictum Concilium annis Papa Sixtus IIII. huius rei curam de integro suscepit, enocato hac de causa ad se, Romam ex Germāia celeberrimo & doctissimo Mathematico Iohanne Regiomontano Franco; Verūm bonus hic Regiomontanus paucis post suum in urbem aduentum diebus extinctus est, ut quidem Romanenses aiunt, pestilentia, sed, ut res est, crustulo seu iu sculo Italico, hoc est, venenato, pro gentis scilicet istius more, ne ingenuus ille & sincerus Germanus laudem & gloriam confecti à se tam præclari operis secum illinc in patriam reportaret. Sic ne tunc quoq; quidquam hac in re fuit effectum. Aliquantò post, nimirum anno Christi 1516 Leo X. rursus hanc rem aggressus est in Concilio Lateranensi, missis passim, ad nostros præcipuè Principes & Academias, & viros doctos litteris, quibus ipsorum in hoc opere consilium ac iudicium diligenter & seriò exquirebat. Sed tum quoq; negotium non successit cum propter alia regno Pontificio periculosa & pernitiōsa impedimenta, tum præcipuè

cipuè propter Lutheri tunc ex orientis disputationes.

Quæ antiquæ Pontificum de Kalendarij emendatione consultationes non vsq; ad eò contemnendæ sunt & reiiciendæ, vt quidam hoc nostro seculo homines imperiti, audaculi & arrogantes existimant, ante quos, ipsorum iudicio, nemo quidquam sciuit aut intellexit, cum quibus, vt dicit amicis suis Iobus, sapientia omnis inter mortua sepelietur: sed considerandæ potiùs sunt & accuratè expendendæ, an alicubi ad certio rem & expeditio rem huius operis absolutionem, viam sternant, & quasi fenestram aperiant. Susceptæ enim eæ fuerunt & institutæ à plurimis, ijsq; ingeniosissimis artificibus, viris politicis & prudentibus, idq; in publico cœtu, non autè quod nouo huic Kalēdario, accidit, ab vno aliquo, Medico, in cubiculo habitæ & quasi pharmacum confectæ.

Ab illis ergo duo hi potissimùm modi seu viæ propositæ fuerunt & commonstratæ. Prior erat, Kalendarium ita vt nunc est, sine vlla mutatione, intactum esse reliquendum, eò quòd Nicænum Concilium suo tempore idem isthuc fecisset, cuius hinc exemplum meritò sit sequendum; Sed esse prouidendum & procurandum, vt in hoc suo statu & ordine, sine aliqua mutatione in posterum permaneat; id verò fieri posse, si post centesimum quemq; & vigesimum annum vnus dies Interkalaris ommitteretur; quo futurum esset, vt Tabulæ Astronomicæ, quæ ad hoc Kalendarium sunt accommoda

commodatæ, tantò & tardiùs & minùs turbarentur, artificiosa quoq; & pretiosa Instrumenta & opera, quibus Solis, Lunæ, & aliarum Stellarum motus & locus in cœlo quotidie ostenditur, sine vlla mutatione & transpositione suum vsum constantè retinerent, nec non, vt omnis etiam in Agricolarum vulgaribus Kalendarijs, seu, vt vocant, Practicis, alijsq; communis huius vitæ negotijs innouatio & perturbatio præcaueretur. Hoc consilium modùmq; sapientissimi quiq; & doctissimi, in primis verò concilium Lateranense, comprobârunt.

Alterà via fuit hæc: Aut omittendos esse ex Kalendario diès vndecim, vt cùm cœli rursus motu ita congruëret, quemadmodum congruëbat tempore Nicæni concilij, cùm *Æquinoctiũ* in 21. diem Martij incidebat: Aut excludendos esse ex Kalendario diès quatuordecim, vt hoc modo rursus congrueret cum Iulij Cæsaris ætate & Natiuitate Domini nostri Iesu Christi.

Quo autem modo hi vel 11. vel 14. diès essent eximendi, de eo inter ipsos non conuenit. Aliquibus placuit, vniuersos simul & semel ex vno aliquo Mense esse eijciendos, sicut nunc Gregorius XIII. decem simul exturbauit: Alij suadebant, vt vel 44 vel 56 annorum interuallo nulla fieret interkalatio, ita futurum, vt sensim & paulatim vel vndecim illi, vel 14. diès sine vlla euidente mutatione quasi euanescerent & interirent. Sed neutra harum, diès hos ita excludendi ratio Patribus placuit, idq; ideò, quòd prior quidem nimis esset

subita & vehemens futura, secumq; grauem & manifestam in plurimis negotijs tractura mutationem & perturbationem; altera verò nimis ipsis videretur tarda, paucos ex ijs, qui iam viuerent, ad illud vsq; tempus, superfuturos, fructumq; emendationis percepturos: Metuendum etiam esse, ne hoc modo, omnis Interkalatio propter tanti temporis interuallum, ex animis & memoria hominum deleteretur, prorsusq; interiret. Præter hosce duos modos propositus est à doctis quibusdam tertius & postremus, Patribus in Concilio Tridentino ante annos 30. congregatis, qui quidem mihi videtur, omnium optimus & commodissimus, de quo paullò pòst agemus.

*Hæc sunt iudicia & censuræ de Kalendarij re-nouatione, quæ ante hanc nostram ætatem in de-liberationem venerunt, nec tamen vlla earum in effectum est deducta.*

Quod ergo ad nuper institutam & iam aliquibus in locis introductam Kalendarij reformatio-nem attinet, si quidem nostri quoq; Principes vna-nimi consensu eam recipere velint, non quidem, vt hoc modo, Papæ gratificentur, vel ipsum sic Mag-istrum & Reformatorem suum agnoscant, quem sibi haud dubiè præcipuum in hoc negotio habet propositum scopum & metam; sed potiùs, quòd rem ipsam per se consideratam, vtilem & commo-dam iudicent: tum cogitandum inquirendumq; restat, quonam modo decem illi dies, quibus Pon-tificij nos præcurrerunt, commodiùs, quàm ab illis factum est, possint excludi, vt eos assequamur.

Me quidem si quis hac de re consuleret, responderem, eximendos quidem eos esse ex vno anno, verum non ex vno, sed decem mensibus, Ianuario nempe, Martio, Aprili, Maio, Iunio, Iulio, Augusto, Septembri, Octobri, Decembri, ita vt singulis vltimus præcideretur diës. Sic & Febuario alioquin ceteris breuiori parceretur, & suus Nouembri relinqueretur S. Andreae Apostoli diës, ne eius memoria isto anno intermitteretur.

Atq; hanc ad rem peculiare quoddam Kalendarium, ad vnum hunc solummodò Annum accommodatum, esset conficiendum & maturè vulgandum, in quo Paschale, & alia mobilia Festa, cum ijs, quæ in Pontificio annotata fuerint Kalendario, congruant. Hoc si fiat, pedetentim Pontificios assequemur, & proximè sequente anno eos æquabimus.

Sed hîc obseruandum venit, hanc reformationis viam modumq; priscis illis maximè displicuisse, qui etiam hodiè à plurimis passim inter Pontificios viris doctissimis improbatur, eò quòd non solum Astronomicas tabulas & instrumenta turbet, verum etiam Cyclum Solarem, cuius beneficio litera Dominicalis inuestigatur, corrumpit omninò & confundit, qui profectò propter peculiarem ipsius vtilitatem, vt postea ostendam, est retinendus.

Harum verò rerum omnium nulla in Noua hac Reformatione & Nouatione, est habita ratio. Ad eò callidum & præceptum fuit auctorum eius, in properanda ea consilium. Ac profectò verisimile est,



est, à Papa eam non tam necessitatis & boni publici causa esse institutam, quam ut Medico, qui illam ipsi proposuit, quo fortasse præter ceteros Papa delectatur, rem gratam præstaret, eumq; hac ratione nobilem & clarum redderet. Nomen enim huius non tantum in fronte Kalendarij, verum etiam in Bulla, qua Kalendarij huius usum imperat, disertim exprimitur.

An verò id in publico hoc & ad omnes pertinente negotio, ita decar, aliorum esto iudicium.

Simili ferè & causa & modo ante annos 300. natum, & ab Urbano III. idololatricum illud & Ethnicum corporis Christi festum institutum fuit, petente nimirum id & urgente Moniali quadam scilicet virgine Eua, quæ Urbano propter veterem familiaritatem & consuetudinem præter ceteras cara, ut id faceret, ab Angelo scilicet quodam, per somnium erat admonita.

Certè à paucis & perfunctoriè, nec satis consideratè & providè Reformationem hanc esse susceptam & tractatam, indicio & argumento præter iam dictos defectus, est immodica eius & enormis productio vel prolatio, quòd nimirum intra annos 400. omittendi sint dies intercalares tres, & in locum Aurei numeralius indicandi Nouilunij causa repositus sit Numerus, quem Epactas vocant, qui totum Kalendarium occupavit & implet, requirens post ducentos quosq; annos unius dièi transpositionem. Atq; ita fit, ut recentis huius Kalendarij cum suis regulis, tabulis & cautelis multò sit, quam veteris, difficilior & incommodior

diorsus atq; conseruatio, cum tamen alias, quarumcunq; rerum innouationes, emendandi & corrigendi, non corrumpendi & peruertendi causa suscipi ac instirui & soleant & debeant.

Peculiarem quandam in regno Polonico excitauit Kalendarium hoc *εραζίαν*, vt videre est in illo, quod mihi legere contigit, Edicto Regio, quo huius acceptio & obseruatio omnibus iniungitur. Nam Dominica dies in Mercurij, Iouis in Dominicam est mutata. Quo modo pulcerrimus ille, sanctissimus, & diuinus, inde vsq; ab vltimo mundi principio sine vlla mutatione, in hanc durans horam, hebdomadam ordo & consequentia, dierumq; per septenarium distincta numeratio, foede & turpiter disrupta est & destructa, quam etiam Ethnici multi, & in his tandem ipsi quoq; Romani à Iudæis acceptam probârunt & seruârunt. Vsq; ad eò ea vtilis ac commoda illis visa est.

An verò hoc acciderit ex prauo Bullæ Pontificiæ intellectu, an verò decòposito & *εκ προαιρέσεως* Papa id in Polonorum præcipuè irrisionem & contemptum sic machinatus sit, an item apud alios quoq; idem factitatum sit, equidem nescio; hoc autem scio, neminem hominem, in quo vel minima intellectus & studij *ευραζίας* scintillula sit, hanc perturbationem non vehementissimè reprehendere, ab eaq; abhorrere.

Sed non nouum est neq; mirum, huiusmodi consilia & conatus talem sortiri euentum, in quibus scilicet non spectatur honos & gloria nominis diuini, & abest eam promouendi studium,

nec fauor & benedictio diuina ad eam expetitur; qualem hanc totam actionem Pontificiam fuisse ex eo manifestè elucet, quòd in ea de secundo Christi ad iudicium aduentu, déq; die nouissimo nulla vel minima, vllò verbulo fit mentio, quòd tamen Reformationis huius autores facere decuerat, & vt facerent, multæ ipsis oblatae fuerunt occasiones. Sed frustrà hæc querimur: Sacri Romani Palatii fides & stilus non aliter didicit agere, cum tamen Papa, tanquam Vicarius, administrationem Ecclesiæ nostri Dei & Domini Iesu Christi, sibi soli arroget & vendicet, præscribendo, mandando, & in eam pro sua libidine dominando. Volumus, ait in sua bulla, & mandamus, nihil cogitans, nec curans id, quòd Dominus suis dixit discipulis, Reges dominantur, Vos autem non; nec, quòd Petrus, cuius tamen esse & haberi vult successor & imitator, ipsi in clerum seu populum Christianum dominio interdicit, 1. Petr. 5. Quare quoties ipse suum nobis Volumus adfert, toties nos vicissim nostrum ipsi Nolumus sic occinamus; nos, ne sis ò Papa insciens, ne in spiritualibus quidem, vt vos ea vocatis, nedum in Politicis negotijs, vllam tibi debemus obedientiam, quemadmodum profectò hoc quoq; tuum de Calendario mandatum, politicum potius est, quàm Ecclesiasticum. In malam rem cum tuo hoc informi & immaturo foetu; commenda & obtrude illum, quibuscunq; voles & poteris alijs: Nos per Dei gratiã sani sumus & ingenui liberiq; Germani, volumusq; non nisi rationibus & argumentis doceri  
& per-

& persuaderi, nolumus deinceps amplius à fista tua & fucata sanctitate seduci, & ab ea, quam contra ius & fas, tibi ipse sumisti, Maiestate & potentia cogi, nihili facientes tuum & aliorum extrariorum alienorumq; Volumus & mandamus, idq; quàm diù vires nobis ad vim à nobis propulsandam suppetent.

Quòd si ergo stat sententia, Papam & Papistas, propter iam expositas rationes hinc non sequi; necessariò consequetur horū alterum, vt scilicet aut retineatur verus Kalendarium, prorsus quale id nunc est, aut alio, quàm Papa fecit, modo mutetur & emendetur. Si ita, vt est, retinetur, tum *Æquinoctia* & solstitia perpetuò, vt & hactenus factum, retrogredientur, irrepentq; ac succedent paullatim hibernæ in æstatem, contràq; æstiuæ feriæ in hiemem.

Quòd autem à nonnullis contra hæc adfertur, nihil opus esse hac cura & solitudine, mundi hunc statum non eò vsq; duraturum, vt Natalitiæ Christi feriæ in æstatem, & S. Iohannis Baptistæ in hiemem incurrant, Deum breui finem mundo huic impositurum, verumq; & in omnem vsq; æternitatem duraturum Kalendarium (quale profectò Pontificium hoc non est, licet in titulo suo ascriptum habeat Perpetuum) instituturum; de eo nolim equidem cum quoquam contendere; idem tamen non ignoro, Christum nos præmonuisse, Nostrum non esse, scire tempus & horam instaurandi regni Israël; ac ipsos etiam Angelos cecelari, quando tandem finis huius rerum mundana-

rum status sit futurus. Scio & hoc, pervulgato illi Eliæ dicto de sex millibus annorum mundi, nequaquam, vt firmo solidoque fundamento esse innitendum. Incertum enim est, priscusne ille Elias Thesbites, an verò recens aliquis Rabinus, qui & ipse Elias dictus sit, huius sententiæ sit auctor & scriptor.

Cerrè Iudæi reisciant & nihil faciunt hoc pronuntiatum, alioquin desinerent tandem suum expectare Messiam, vt qui secundum huius dicti tenorem, duo annorum millia in hisce terris regnaturus fuerit: Quum etiam iuxta ipsorummet Iudæorum confessionem & calculum supra quinq; annorum millia, quingenti fermè inde vsq; à mundi exordio elapsi sint anni. Iudaicorum enim annorum numerus tantum ducentis à nostro superatur.

Equidem firmiter credo id, quod scribit Paulus, nos scilicet, vt & ipse tunc, agere nunc innouissimo mundi tempore. Nec tamen hinc efficitur, necesse esse, vt intra vnum, duo vel tria secula finis mundi adsit. Qui nobis, teste Petro, mille sunt anni, hi Deo vnus sunt diès. Quamobrem etsi parquidem est, vt in singula horarum momenta parati Dominum è coelis, & mundi finem expectemus; tamen nihilominus tenemur haud aliter futuri temporis & securæ posteritatis curam gerere, atq; si mundus hic quàm longissimè sit duraturus, ne nobis vsu veniat idem, quod rusticis illis, qui, quodà Parocho suo essent persuasi, certo quodam & anno & die, secundum ipsius calculum, adfore  
extremi

extremi iudicij diem, omnem agriculturæ & rei familiaris curam intermiserant & abiecerant. Sed cum bellæ hæc rationes ipsos fefellissent, nihil nisi  $\pi\rho\delta\omicron\upsilon\alpha\ \sigma\chi\epsilon\sigma\iota\nu\ \acute{\alpha}\lambda\gamma\epsilon\alpha$ , hoc est, cum damno irrisum inderetulerunt.

Quod si igitur peculiarem quandam Kalendarij nouationem instituere, & priorem illam viam sequilibet, vt nimiram, Vernum Equinoctiũ in vndecimo & decimo Martij die, autumnale, & solstitia suis item, vbi nunc sunt, locis relinquuntur, ea tamen adhibita cautione, ne in posterum vltteriũs retrogradiantur, idq; per vnus post 120. quemq; annum, diei interkalaris omissionem: tum diligenter hac in re considerandum venit, facile accidere posse, vt tanto annorum interuallo hæc ommissio negligatur & obliuioni tradatur.

Atq; ita nihil actum, nec medicina vlla errori huic esset adhibita. Ad hæc per solam hanc vnus illius diẽi Interkalaris intermissionem semper tabulæ Astronomicæ aliquantũ turbarentur, Cyclus quoq; corrumperetur Solaris, qui vnus cuiusq; & præteriti & futuri anni literam indicat Dominicalem, ex qua cognoscitur, in quam hebdomadis diẽm, hic vel ille mensis alicuius dies, contrãq; quis Mensis diẽs in huius vel alterius hebdomadis diẽm inciderit vel sit incasurus. Sæpissimẽ enim in veteribus tabulis & Annalibus, hæc aut similis reperitur temporis designatio, feria sexta ante Purificationis, pridie Paschatis, feria tertia post Michaëlis &c. In huiusmodi casibus & exemplis docet nos Cyclus hic Solaris, quotus Men-

sis diēs fuerit ille, & vice versa, si fortè occurrat sexta Aprilis, & scire libeat, quænam illa hebdomadis diēs tunc fuerit, hoc ipsum beneficio Solaris huius Cycli reperire possumus. Quare, quoad eius fieri potest, cyclus hic conseruandus, nec ita, vt quidam suo iudicio doctissimi existimant Astronomi, parui est faciendus.

Quòd si ne hæc quidem via propter iam dictas causas placebit, & tamen statutum est, Kalendarium emendare, nullam ego quidem video commodiorem & expeditiorem rationem ea, quæ Tridenti à perito & celebri est proposita Astronomo, vt scilicet excludantur diēs 14, verùm non simul neq; vno eodémq; Mense, vt recens decem illis diebus factum, neq; etiam ex vno anno, sed ex annis duobus, vt mutatio hæc tantò procedat tardiùs, minùsq; sentiri possit, idq; hoc modo;

Septem sunt in Kalendario menses, Ianuarius, Martius, Maius, Iulius, Augustus, October, Decem-ber, vno singuli & triginta constantes diebus. Ab horum singulis si vltimus seu tricesimus primus dies auferatur, idq; duobus continuis annis in peculiaribus duobus in hunc vsù præparatis, & tempestiue editis Kalendarijs, iam tota res fuerit confecta, & hoc modo redierint Æquinoctia & Solstitia in veterè ac pristinũ suum Kalendarij locũ, quo fuerunt Iulij, & Christi natiuitatis tempore, processeritq; Kalendarium post duos illos annos iterum solito suo more, sine vlla literæ Dominicalis & Cycli solaris translatione, qui per istam Pontificiam

ficiam reformationem longè è suo extrusus statu in hactenus præteritos annos est inutilis.

Porro de hac 14 illorum dierum exemptione ideò, quod iure querantur, minus habebunt Pontificis, quia in septenos hos diès nullæ incidūt feriæ quibus solennes vllas & peculiare illi exercent cantiones aut ceremonias.

Ad tabulas Astronomicas quod attinet, & instrumenta, coeli motum iuxta vetus Kalendarium indicantia, quæ vt per alias, ita per hanc quoq; reformationem non nihil transferuntur, & aliquanto redduntur impeditiores & difficiliore; proclisue erit Principibus curare & efficere, idq; non magnis sumptibus, beneficio artis typographicæ, vt Tabulæ 14 dierum spatio promoueantur.

Quod sanè vt fiat, omninò necessarium est, ne earum vsus ex hac occasione & causa, deinceps magis etiam, quàm antehac, rarus sit, & omittatur propter earum obscuritatem & difficultatem, quam hoc modo adipiscuntur; neq; Ephemerides intercidant, ex quibus conficiuntur Kalendaria quæ Almanach vocantur, quot annis noua prodeuntia, quorum fundamentum est hoc, quo de nunc agimus, Kalendarium, quæ profectò Almanach vulgo hominum imprimis sunt vtilia & commoda.

Instrumenta facilè quisq; sua ipse renouauerit, aut in ijs annotauerit, numerandū retrorsum dies 14. quod ipsum in Ephemeridibus quoq; faciendum fuërit, quotquot ex secundum vetus computatæ Kalendarium supersunt.

Agricolæ



Agricolæ citò & animaduenterint & assueuerint, operarum suarum indices, quos à certorum Sanctorum festis desumunt, 14 dièbus esse promouendos; Exempli causa; Putandarum vitium nunc apud nostrates quidem à die Sebastiani, tunc à Purificationis Mariæ; hordei & auenæ, à Benedicti, tunc ab Ambrosij; nunc secalis serendi ab Ægidij, initium feciunt, tunc à Crucis facerint; Coeperit tunc quoq; ceruorum salacitas & coitus.

Si Prisci nostri Agricolæ suas illas, quibus in Paganismo vsuerant, temporum notas, à stellis, ab auium, vt Alaudæ, cantu, à ciconiarum reditu, à Cuculi coccismo, ab huius illiusue arboris erumpentibus gemmis, ab huius alteriusue herbæ floribus desumtas, post introductam Christianam religionem dedidicerunt & omiserunt, in earum locum hæc festorum dièrum indica recipientes; quid obstat quò minùs & nostræ ætatis agricolæ leuem quandam earundem notarum transpositionem aduertant, & intra paucos annos ad eas assuefiant?

Qua de re ipsos commonefacere nouerint Ecclesiarum pastores, modò illi ipsi non profùs sint imperiti, & docere, quomodo deinceps Rusticas suas temporum Regulas sequi debeant. Nam extra controuersiam est, nullas vnquam suscipi posse mutationes quantumuis exiguas, quæ non cum aliquo saltem incommodo & molestia sint coniunctæ.

Accedit huc, quòd secundùm hanc rationem fieret tabularum Astronomicarum simul & semel mutatio,

mutatio, & à Pontificijs, quatuor tantùm diebus, quibus illos antecederemus, effomus seiuncti, cum alioquin, si vetus Kalendarium, quale est, non mutatum retinēamus, totis decem diebus ab illis distemus.

Atq; hoc modo instructum iam Kalendarium, permaneat eo ipso statu, rursusq; , vt antè, procedat, nec post annos 120. vnus dies Interkalaris omittatur, ne rursus, vt dictum, per hanc omissionem, mutatio aliqua in Tabulis, alijsq; rebus exoriatur. Sinatur, inquam, Kalendarium iam dicto modo progredi, donec post annos 1600. rursus tantum, quantum nunc, exorbitauerit, si modò mundus hic ad id vsq; tempus perdurauerit, nec intereà cœli motum Deus immutauerit, id quod quidam ex his Domini verbis, Lucae 21. virtutes cœlorum commouebuntur, futurum ratiocinantur. Qui tunc superstites erunt, ij quoq; emendent.

Atq; hac ratione exæquatam rursus fuërit Kalendarium cum cœli motu, & cum Festis ijs, quæ Fixa idèd appellatur, quòd quotannis in eundem diem redeuntia, in Kalendario annotata existent; Ferie Natalitiæ Christi rursus in diem breuissimã; festum S. Iohannis Baptistæ ferè in longissimam; Annunciatio Mariæ siue conceptio Christi, in Equinoctium Vernum; S. Michaëlis dies in Autumnale propemodum Equinoctium incidant.

Ceterùm hęc dubium mihi non est, quin nasutuli quidam & singularis doctrinæ opinione turgē-

tes Astronomi, si fortè in hæc chartulas incidè-  
rint, vehementer sint admiraturi, esse, qui in tam  
difficili, arduo & subtili opere tam vulgaria, sim-  
plicia, tenuia, & puerilia in medium adferat, in quo  
longè sit aliter versandum, quodq; longè sublimi-  
orem speculationem & artem requirat, esse scilicet  
in octauam vsq; Sphæram ascendendum, inde tan-  
quam initium & basim totius huius negotij su-  
mendam, inde inuestigandã constituendãmq; ve-  
ram exactãmq; anni quantitatem, absq; eo sit, o-  
mnem operã & oleum perdi, absq; hoc nihil vtile,  
nihil stabile hac in re effici posse.

Illis verò ego simpliciter responsum volo: o-  
ptandum esse, veram anni mensuram accuratè &  
præcisè nobis innotuisse; ac deberent Principes &  
alij opulenti in hanc curam incumbere, nec sum-  
tibus parcere, si vel hoc demum seculo quantitas  
illa, ex nostrarum, & veterum obseruationum col-  
latione indagari tandem, & certò deprehendi pos-  
set. Sed hanc rem, *Kalendarij* dico emendatio-  
nem, in illud vsq; differre tempus, esset verè ex-  
spectare cum rustico, dum defluat annis, cum vi-  
deamus, neminem ex ijs, qui hoc præstare & pos-  
sent & deberent, vlla eius cura affici.

Fortasse etiam Deus non vult hæc nos perfectè  
& plenè scire, quorum omnis scientia in omnibus  
non solùm diuinis & spiritualibus rebus, teste A-  
postolo, verùm etiam in quocunq; artium & disci-  
plinarum genere, manca est & imperfecta, nimis  
nos tantùm discipuli, idq; non in hac tantùm, ve-  
rùm

rūm etiam in futura vita, quò nos in sua sapiētiā admiratione occupatos & attentos teneat; quæ admiratio ipsa quoq; pars hīc est, & illic erit laudis & gloriæ ipsius, quam à nobis postulat, & nos ipsi debemus.

Nec verò accuratæ huius & ad amūssim exploratæ quantitatis anni ignoratio, præsens opus impedit, nec fieri potest, ut hoc ad illam vsq; adeò subtiliter & exactè accommodetur. Quæ etiam si penitus cognita esset & perspecta, in scholis tamen tantum & inter doctos delitesceret. Mediocre, & quanta ad hoc opus necessaria est, eius scientiam, Dei beneficio, habemus, velex totis illis 1600 annis, qui inde à Iulij temporibus ad nostram vsq; ætatem elapsi sunt, quo spatio Kalendarium Iulij veram anni quantitatem, 14 propemodum diebus, ut pleriq; omnes fatentur Astronomj, excessit. Hinc, subductis rectè rationibus, deprehenditur Anni longitudo, dièrum 365. horarum quinq;, & quatuor quintarum vnius horæ, ut antè est dictum.

Siue igitur hæc ipsa sumatur quantitas, siue alia pauculis minutis vel maior vel minor certum tamen est, nullam aliam Kalendarij expeditiorem & ad vsus publicos, quod caput est huius rei, accommodatiorem rationem, quàm ea est, quæ hodie viget, excogitari & institui posse, quocunq; tandem modo à quocunq; tentetur; quod ipsum Iulius quoq;, qui & ipse Pontifex Maximus aliquamdiu fuit, antequàm ad Imperij fastigium euectus esset, facile vidit & animaduertit, melius

E ij certè,

certè, quàm hic modernus Pontifex.

Extra enim controuersiam est, fieri omninò non posse, vt Kalendarium vllum sine interkalari die instituatur; hæc verò interkalatio nunquam aptius & minore cum incommodo, quàm quarto quoq; anno fieri potest. Si sinantur interkalationes hæ simul in vnum concurrere & accumulari, vsq; ad annum centesimum vigesimum, vt in vnuersum fiãnt triginta dies, & tamen 29. tantum interkalentur; hinc profectò extiterit monstrosus & absurdus annus Interkalaris, præcedentésq; omnes anni vsq; magis magisq; mutilati.

Cur autem mihi diei vnus Interkalatio post centesimū quemq; annum facta hoc sine, vt tantò maior Kalendarij sit constantia, non probetur, non solùm hanc habeo caussam, quòd tabulæ Astronomicæ semel restitutæ, sic deinceps immotæ & fixæ mancant: verumetiam hoc expendo, vt & antè dictum, conatū huiusmodi & institutum fore frustraneum. Nam cui, quæso, vellibro, vel homini hæc cura delegabitur, vt hæc interkalatio post tot annorum interuallum rectè perficiatur? Tritum est sermone, & ex ipsa natum experientia prouerbium, Quod pluribus agendum committitur, id nemo agit. Quod in libros refertur, id quoq; sensim & paullatim neglectum iacet & in obliuionem venit, hoc præsertim tempore, quo quasi certatim à quibusuis & quouis loco Kalendaria quot annis scribuntur & eduntur. Quì fieri potest, vt hac ratione tale institutum & modus conseruari possit? Patres, vt antè expositum est, viri profectò prudentes,

prudentes, metuerunt, ne dies Interkalaris, anno-  
44 spatio, obliuioni traderetur & interiret. Quid  
ergo dicturi fuissent de hoc Interkalationis termi-  
no, qui illum duplo & ampliùs excedit?

Certè tam operosæ & proluxæ constitutiones  
minimè sunt ad vulgi ingenium & vsus accom-  
modatæ, qui røtius huius operis scopus & meta  
esse debet. Atq; hæc est causa, cur ipse Deus O-  
ptimus Maximus populo suo Annū Sabbaticum,  
non vltra septimum produxerit, seruandūmq;  
præscripserit, & pulcerrimum illum vtilissimūmq;  
annum Iubilæum, qui remotissimus & extremus  
fuit, non vltra quinquagesimum annum protulerit.  
Quin etiam Pontifices ipsi quinquagenari-  
um Iubilæum, quadam Iudæorum *κακοζηλία* ab illis  
vsurpatum, in vigesimum quintum quemq; an-  
num retulerunt, eò quòd quinquagenarius ille ni-  
mis ipsis videretur tardus & longinquus; tametsi  
non tam quòd temporis illius meminisse non pos-  
sent, quàm quòd frequentes nimirū & celebres il-  
læ nundinæ, quibus, quanticunq; vellent, suas mi-  
seræ plebeculæ obtrudebant & diuendebant mer-  
ces & fraudes, ideòq; non iniuria Aureum illum  
annum appellabant, serius ipsis tardiùsq; quàm  
vellent, redirent.

Apud priscos illos Romanos instituti fũerunt  
Iudi seculares, spectaculorum publicorum populo  
post centesimum quemq; annum edendorum  
gratia. Sed ne hi quidem, etiam in tam benè  
prudenterq; constituta ordinatq; republica diu  
durarunt.

Idem apud posteros vsu veniēt Pontificio huic  
 Kalendario cū suis trecentis & quadringentis an-  
 nis, qui diei Interkalari omittendo & admittendo  
 sunt præfiniti, vtcunq; Pontifex in omnibus Missa-  
 libus & Breuarijs per sui regni reliquias, hoc anno-  
 tandum curet.

Quare vbi Kalendarium in pristinum suum  
 locum erit reductum, tum sinatur ita, vt antè, pro-  
 gredi.

Hæc omnia nequaquam eo à me dicuntur con-  
 silio, ac si nouitatis aliquo studio delecter & titil-  
 ler. Scio enim, quod sit hominum intelligen-  
 tum, & prudentis vigilantisq; Magistratus de qua-  
 uis rerum innouatione iudicium, vt qui nullam  
 vnquam, nisi grauissimis de causis, & non nisi sum-  
 ma id postulante necessitate, introducere, nec to-  
 lerare soleant, idq; consilio & præcepto veterum &  
 prudentissimorum legumlatorum. Qua quidem  
 in re, præ dolor, nimia hoc nostro seculo deprehen-  
 ditur leuitas & inconstantia, dum nullus est mo-  
 dus finisq; mutandi antiquas, vtilis, & honestas  
 consuetudines, non sine magno & perspicuo ho-  
 nestæ disciplinæ, morumq; bonorum constantiæ,  
 in tenera iuuentute, & promiscua plebe detri-  
 mento.

Huc nos deduxit opinionis error ortus ex eo,  
 quòd, cum pridem summa & inenitabilis necessi-  
 tas mutationem & emendationem corruptæ de  
 Deo & cultibus diuinis doctrinæ flagitauerit,  
 falso nobis persuadeamus, propter hanc muta-  
 tionem omnia sine exceptione, quæ hanc mutati-  
 onem

onem antecesserunt, mala & pernicioſa, ideòq; mutanda & abiicienda eſſe. Quam ad rem plurimum quoq; momenti & roboris adfert deteſtanda ſuperbia impellens nos, vt peculiarem quandam & nobis quaſi propriam, noſtro quidem iudicio, ſapièntiam, & in munere noſtro ſiue Eccleſiaſtico, ſiue Politico poteſtatem & auctoritatem, excogitandis inſtituendisq; rebus noſtris, oſtendemus. Notum eſt verus illud ſapientum Græcorum dictum, *καὸν εὖ καί μινον, οὐκ ἔστιν ἄλλο*. Quò ergo magis hoc, quod vel verè bonum eſt & vtile, vel ſaltem malum & inuile non eſt, & in cuius locum aliud melius vtiliùsq; ſubſtitui non poteſt, ſuo loco & ordine, ſine mutatione, eſt relinquendum? In hunc ſanè ſenſum etiam hoc Solomonis, Proverbiorum 22. dictum accipitur, Ne transfer terminos à maioribus tuis conſtitutos.

Attamen, vt omnium aliarum, ſic huius quoq; rei certus eſt modus, certi fines. Quotieſcunq; publica aliqua enormis, manifeſta & pernicioſa rei alicuius deprehenditur deprauatio & abuſus, quamtumuis vetus, iſi neceſſariò eſt paulatim & ſenſim abolendus & emendandus, etiamſi totus reluctetur orbis. Exempli cauſa; Publicus eſt, ſcandali plenus, & turpis mos & conſuetudo tam apud nos, qui tamen Euangelici & eſſe & haberi volumus, quàm apud Papiſtas, vt anniuersariæ nundinæ, Dominicis, alijsq; feriatis diebus celebrentur, quaſanè ratione cultus diuinus, qui omnium rerum humana-



humanarū præcipua res est & caput, cuiq; omnia alia negotia cedere æquum est, negligitur & impeditur; idq; contra laudatissimam Caroli Magni constitutionem, qua is intempestiuam hanc & peruersam nundinationem seridè interdicat. Huius & similium abusu abrogationem & emendationem nemo sanus, vt iustam & necessariam, non probârit.

Quid ergo? Estne hæc Kalendarij reformatio ad eò necessaria? Hoc equidem non facilè affirmauerim. Duas eius video causas; Prior est, quòd Maiores nostri eam expetièrunt, & diù multumq; in ea occupati fuèrunt, hoc consilio & fine, quod etiam hodie nonnulli sequuntur, æquum scilicet & decorum esse, vt feriatum nostri & memoriales dies in sua & conuenientia anni tempora incidant.

Altera, quòd Papa cum sua hac apud vicinas nobis nationes instituta Reformatione occasionem huic rei præbuèrit, eamq; à nobis nonnulli Potentissimi nostrates Principes petant (nescio equidem, quonam consilio & fine, quòne falso reuerentiæ & zeli studio, ad Romanæ sedis auctoritatem & potentiam indecente sua obedientia vel fulciendâ vel etiam restituendâ) quorū petitioni, eo, qui supra est expositus, modo, nimirum exemptione illa 14 dierum, satisfacere possimus, quo quidem etiâ, plùs quam petitur, præstiterimus. Plus enim sunt 14. quàm 10. Atq; ita nos diebus quatuor antecesserimus Papistas; quòd si illi deinde nobis se exæquare & nos assequi voluerint, id ipsorum fuèrit

fuërit arbitrij. Præterea perfectiorem & splendidiorem, quàm illi, nos haberemus Anni reformationem, vt quæ non Concilio Nicæno, sed celeberrima, gloriosissima & sanctissima Domini & Seruatoris nostri Iesu Christi natiuitate niteretur.

Quod ad perturbationem politicorum in communi vitæ societate, negotiorum, quam nonnulli metuunt, attinet, sanè non video, quanam perturbatio oriri possit ex tam commoda & tarda mutatione, in qua nunc post quatuor, nunc post octo hebdomades vnus tantummodò diës, & biennij spatio, vniuersi illi<sup>14</sup> dies sensim intereunt & quasi euanescent. Obsecro, quotusquisq; de vulgo hanc tam minutam mutationem in suo deprehendet Almanacho? Nec hoc tantùm, verùm etiam omnes duorum illorum annorum menses, Februario excepto, inter se erunt æquales, cùm aliàs sint inæquales.

Quòd si fortè quispiam in populo, alteri alicui ad dandum præstandùm ue aliquid vno quopiam illorum postremorum & abscissorum diërum in mensibus huius biennij obligatus, ansam non dandi præstandiue debitum, ex hac mutatione quæret; ei sanè diuerticulo facilè prudens & æquus Magistratus viam obstruxerit.

Constituto itaq; & accommodato hac ratione ad Solis cursum Kalendario cum feriâtis suis & operosis diëbus, cùm mobilia quoq; habeâmus Festa, quæ in Kalendario, certo loco describi & annotari non possunt propter ipsorum inconstantiam & varietatem, ex eo existentem, quòd ipsa, vt

antè dictum, ad Lunæ phases dirigantur; ( ago nunc de perpetuo *Kalendario*, non de ijs, quæ propter hæc ipsa festa quotannis noua eduntur, & Arabica voce *Almanach* dicuntur ) reliquum est, vt porrò videamus, quomodo his quoq; consuli, & ad maiorem constantiam & æquabilitatem ea deduci possint. Nam experientia testatur, hæc festa sæpissimè à prima institutione, & præfinito ipsis tempore, quàm longissimè discedere.

Festa hæc mobilia suam originem ducunt à Paschate. Hoc cùm quotannis inuestigatum est & constitutum, tùm ab eo retrorsum seu sursum hebdomades computantur septem vsque ad Dominicam *Esto mihi*, quam *Sacrificorum Bacchanalia* vocant. Ab hac deinde Dominica ad *Napalem* vsq; Christi retrorsum item computatæ hebdomades, Latinè peculiari voce dici solent *Interuallum*.

A Paschate prorsum seu deorsum numeramus ad *Pentecosten* vsq; hebdomades septem; feria quinta, vel ethnicè, dies *Iouis* altera ante *Pentecostem* dicitur dies *Ascensionis*; proxima post *Pentecostem* Dominica dicitur *Dominica Trinitatis*; ab hac reliquæ sequentes omnes & numerantur & denominantur, hoc modo, *Dominica prima post Trinitatis*, *Secunda*, *Tertia*, &c. idq; vsq; ad quintam ante *Natiuitatem Christi*, *Dominicam*, quæ est post *Trinitatis* vltima.

Reliquæ quatuor, quæ ad *Natalè* vsq; Christi supersunt, vocantur *Dominica Aduentus Domini*.

Regula inueniendi Paschatis tradita est à *Concilio Nicæno* hæc: *Nota plenilunium, quod proxime sequitur Equinoctiū Vernum, vel etiam, quod*

in ipsum

In ipsum illud incidit *Æquinoctium*. Dominica hoc pleniluniū proximè sequens est Paschatis diēs.

Ad inueniendam autem ex Kalendario hoc ipsum pleniluniū, repositus est tunc quidem rectè in Kalendario Aureus numerus, sed qui nunc propter temporis longitudinem à Nouilunijs multum declinauit, à Pio V. proximo ante modernū Pontifice restitutus, vt audio, sed ad Paschaliū feriarum indicationem nondum vsurpatus. Ita partim ex hoc deprauato numero, partim, vt antè ostensum, ex translato *Æquinoctio* magnus ille & crassus in Paschatis celebratione profluxit error.

Si possent vtraq; & *Æquinoctium* & Plenilunium simul certæ alicui in Kalendario diei constanter alligari & astringi, tum demum permaneret Pascha intra sua septa & certos terminos, absq; vlla exorbitatione & errore, non aliter.

Hoc verò fieri omninò non potest. Et si enim non habita ratione difficultatis & perplexitatis, quæ hinc in Tabulis Astronomicis exoriretur, tantum *Æquinoctij* stabiliendū & ad certum diem alligandū causa, post centesimū vigesimum quemq; annū, vnus omittatur dies Interkalari: tamen fuerit hoc ipsum in stabiliendis Nouilunijs nimium, vt quæ post trecentesimū demum quemq; annum, vnus diei omissionem postulent. Itaq; hac ratione ducentesimo quoque anno ab Aureo suo numero deorsum in consequentes diēs vnus diei spatio processerint. Si verò Nouilunia tantum ad suum alligentur numerum aureum, vno die interkalari post 300. quemq; annum intermisso,

non suffecerit hoc ad conseruandam *Æquinoctij* constantiam, vtpote quod hoc modo retrocesserit, vt hætenus factum, licet non ita multum. Si placuerit vtraq; simul certis diebus alligare, vides licet *Æquinoctium* cum vnus diei interkalaris exclusione post 120. annos, Nouilunia, vnus item, post 300. annos, id vtrisq; nimium fuerit, eo pacto simul quidem, sed tamen inæqualiter, in *Kalendario*, & antrorsum seu deorsum prorepturis. Itaq; dum vni mederi conamur, alteri nocemus, adeo vtriq; simul consuli nequit. Tum etiam si hac die rum exemptione rectè prospici vtrisq; simul fortè posset, idq; absq; vllò *Tabularum* detrimento, & alijs incommodis; quis, quæso, vt supra monui, post tanti temporis interuallum, quod nullius hominis vita assequitur, esset ita, vt oportet, hæc curaturus? Stat ergo hoc, & negari non potest, *Aureum numerum* esse inconstantem & mutabilem *Nouiluniorum* & *Paschatis* indicem: Quem tamen in *Kalendario* retinendum iudico propter antiquum ipsius vsum, à quo *Almanacha* proximis hisce centum annis eum depulerunt.

Sed dicat fortè hîc aliquis: *Computabimus* ergo quotannis *Paschalem* lunationem ex *tabulis*, aut ex *Ephemeridibus* eam sumemus. Huic ita respondeo; Etiam hoc gignit inæqualitatem, nec ex eo communis aliqua & generalis regula & ordo potest confici; Exempli gratia; Esto, vt plenilunium in æquinoctium incidat *Noribergæ* vna hora post mediam noctem, quæ est diei illius naturalis, in quam æquinoctium incidit, principium:  
hoc

hoc ipsum Pleniluniū antecesserit Vlyssibonæ mediam noctem vna hora. Fuërit ergo Noribergensibus quidem hoc Paschale Plenilunium, Vlyssibonensibus non item, atq; ita hi hebdomadam quatuor interuallo seriùs, quàm illi suum Pascha celebrauerint.

Quòd si Plenilunium contigerit circa mediam noctem, vno vel pluribus post Æquinoctium diebus, tum Noribergensibus Pascha fuerit proximè sequens dies, si quidem ea sit Dominica dies; Vlyssibonensibus autem octauus demùm post dies. Idem etiam alijs populis, qui versùs Orientem & Occidentem longo distant interuallo, facili mè vsuuenire potuërit.

Huius accidentis inæqualitatis vitandæ causã, consultum nonnullis videtur, vt à perito aliquo Astronomo Tabella quædam Paschalium Pleniluniorum ad aliquot secula index conficiatur; & ad insignem aliquam & celebrem urbem, puta Romam, quæ caput totius Christianitatis videri vult, accommodetur, & mandato ac auctoritate Pontificis Romani, publicè ab omnibus in norandis definiendisq; Plenilunijs Paschalibus accipiatur & seruetur. Certè hæc & sapienter cogitata, & hæud dubiè oprimo studio sunt proposita. Sed quorsum opus est tam operoso conatu & proluxa molestia, vt arduam hanc & subtilem perplexamq; & intricatam Astronomicam speculationem, ad eò exactè & ad amissim cum communi huius vitæ consuetudine conciliemus? cum speculatio hæc neq; ad verum Dei cultum, neq; ad Ecclesiasticam

vel politicam *εὐταξία* sit vsq; aded, atq; nonnulli simplices & non mali existimant homines, necessaria, immò plus etiam incommodi, quàm commodi secum ducat. Quid quòd ipsis etiam Pontificijs sacrificulis adeò difficilis & obscura hæc res fuit, ante inuenta & publicè recepta Almanacha, vt Decani necesse habuerint peculiare instituire conuentus annuos, quos Kalant appellabant, qui, vt fit, computationibus & comestationibus terminabantur, in quibus Paschale & alia mobilia festa illis indicarent. Immò ipsi quoq; Decani interdum hac in re à scopo aberrârunt, sicut accidit olim in Archiepiscopatu Bremensi, vt Pascha ibi aliquando ea die celebratum sit, quæ alibi erat Dominica Oculi, ob quam rem Bremenses ab alijs derisi sunt, cum tamen ea Paschatis celebratio, secundum veram temporis rationem, verior et aptior fuerit fortuito quodam casu, quàm altera illa ex artis regulis seruata. Constat item accidisse aliquando, vt naus, pridie quæ Paschatis Lubeca soluerat Rigam versus, eò appulerit eiusdem anni Dominica Palmarum.

Facere igitur hoc loco non possum, quin meam explicem sententiam de simpliciore, expeditiore & commodiore constituendi & celebrandi Paschatis via modoq; ; idq; faciam & optima conscientia, & vt mea fert sententia, firmis & solidis rationibus, nihili facturus, si vel hæreticus ideò audiam. Laudabilis est Deoq; grata, à Maioribus quoq; nostris inde vsq; à primo Christianæ religionis principio, celebrandi Paschatis seruata consuetudo, vt nimi,

rum certo statóq; anni tempore cum liberis famili-  
 áq; nostra in vnū conueniamus locum, ad audien-  
 dum, discendum, meditandū historiam passionis,  
 mortis, & resurrectionis Domini nostri Iesu Chri-  
 sti, ipsiq;, pro his beneficijs agamus gratias, sicut eti-  
 am populo suo Iudaico Deus ipse peculiare præsti-  
 tuerat & definiuerat tempus, quo conuenientes in  
 memoriam sibi reuocarent mirandam suā ex Egy-  
 pto liberationem, aliáque diuina beneficia, próq;  
 his Deo gratias agerent. Etsi autem nos ad nullam  
 certam diē, vt Iudæi, vllō mandato diuino sumus  
 alligati, tamen cū hæc nostrā à Diabolo & Infer-  
 no, sicuti illorum à Pharaōnis Ægyptiaca seruitu-  
 te, liberatio, vere & initio ætatis euenit: rectè  
 fit & ordine, vt huius ipsius liberationis memo-  
 riam, & latissimum hoc festum eo celebremus  
 tempore, quo tetra & tristis hiems iam præterit,  
 cunctáq; animalia, terrestria, aquatica & volatilia,  
 omnes item siluæ & campi germinantes & floren-  
 tes, suam lætitiā, alacritatem, nouūq; vigorem  
 rursus produnt & indicant, haud aliter, atq; si no-  
 stra causa, ob collata in nos tanta beneficia, se ita  
 gaudere ostendant, nōsq; ad gratitudinem pro-  
 uocent.

Quoniam verò, vt antè dixi, & difficile est &  
 minimè necessarium, vt hac in re lunam sequamur,  
 cuius motus ad certam aliquam & constantem  
 cum Sole conuenientiā redigi omninò non potest,  
 præsertim in tanta populorū & locorū Christiani  
 nominis multitudine & distātia, quod intra angu-  
 stos illos vnus Iudææ terminos non erat difficile;  
 liberum



liberum nobis est in hac, vt & in alijs similibus rebus, pro nostro arbitrio & commodo, hoc illudue instituire & obseruare.

Quare frequentium mutationum & inæqualitatis vitandæ causâ, constituamus sanè deinceps semper Paschatos, hoc est, Resurrectionis Christi diē in primam Aprilis diem Dominicā, quem quidam mensē ipse quoq; Carolus Magnus ante annos circiter 800, vernacula sibi ac natia lingua Frācica eademq; Germanica, Paschalē mensē nominauit, quæ appellatio etiam hodie apud nonnullos nostrates hæret. Nam Pascha plerumq; in hunc mensē incidit, estq; hic eam ad rem cōmodus. Hæc enim prima Aprilis Dominica neq; nimis longè, neq; nimis propè, id quod Paschati maximè congruit, sequitur Equinoctiū Vernum, si quidē id in 25 Martij referatur, vt non dicam, etiam idē hoc optimè quadrare, quòd Christus, vt calculus indicat Astronomicus, tertia Aprilis sit crucifixus. Accedit huc, quòd hac ratione futurum sit, vt deinceps magnam illam inter Natalem Domini & Quinquagesimam intercedentium hebdomadam inæqualitatem effugiamus, quæ nunc quidem, pauciores interdum sunt, quàm sex, interdum plures decem; tum verò nunquam pauciores septem, nec plures octo forent.

Quadragesimale quoq; Ieiunium, apud quos quidem id adhuc seruetur, non ita, vt nunc, in diēs longiores & æstatem extenderetur, cū miseræ agricolæ & duriores & diuturniores, quàm aliàs, perferunt labores, & tamen deterius & parcius victitant.

tant. Quod cum optimus & sapientissimus Imperator Maximilianus I. expendisset, scripsit ea de re ad concilium Lateranense, petens, ut sex illæ cum dimidia, Ieiunij hebdomades in quatuor anni quadrantes distribuerentur, ut tantò essent vulgo hominum tolerabiliores; sed nihil impetrauit, eò quòd, scilicet, quæ est illorum patrum modestia & sanctitas, non conueniat personæ seculari, Spiritualibus patribus quidquam hac in re præscribere. Absq; eo fuisset, ipsi non moniti, consilium hoc secuti essent, ut ab ipsis profectum.

Adhæc ubi *Æquinoctium Vernum* in Calendario paullatim rursus à 25. Martij retrocesserit, & post annos 1600, si ita Deo placebit, iterum vndecimam Martij occupauerit; Pascha tamen nunquam maiore, quàm quatuor hebdomadam interuallo, post *Æquinoctium* sequetur, cum per aliquot iam secula, interdum sex cum dimidia hebdomadibus sit consecutum.

Atq; hæc quidem optima & commodissima ad Solis, non autem ad Lunæ motum directa, celebrandi Paschatis fuerit ratio.

Hic verò sunt homines, ijq; minimè mali, qui speciosa & plausibili ratione hoc consilium oppugnent, dicantq; , hoc modo nos Christianos Iudæis alijsq; nostris hostibus excitaturos grande scandalum & irrisum. Nam secundum hanc celebrandi Paschatos rationem fieri aliquando posse, ut in ipsam Parasceues diem, qua Dominus noster Iesus Christus pro nobis mortem obiit, nouilunium incidat, quo Sol à Luna obscuretur, quod

trium illarum horarum accidit spatio, quibus uiuens de cruce pendeat Dominus.

Ibi verò hæc illorum Tragica fuerit oratio & exclamatio: Ecce quàm impudenter de Seruatore suo Iesu Nazareno mentiuntur Christiani; dictitantes, in eius crucifixione Solem miraculoso modo & contra naturæ cursum, esse obscuratum, cum tamen idem nunc in ipsorum Paschate, à Luna eclipsin patiat, naturali & vsitato more; quod etiam tunc accidere potuit. Quòd si hæc vera esse crederent, instituerent utique suum Pascha ita, ne in contrarium incurreret.

Hæc certè grauissima foret & intoleranda nostrî accusatio & datum de nobis scandalum; sed est, quod huic quoque obiectioni respondeamus, hoc nimirum;

Vt demus, Iudæos adeò accuratè ad Pascha nostrum attendere, deque eo tam esse sollicitos & ita, vt dixi, nobis obloqui, tamen putida hæc sunt & friuola, nulliusque ponderis. Quis enim mentis compos ita ratiocinetur?

Anniuersaria Memoriae Passionis Christi die, in ipso meridie conspicitur naturalis Solis obscuratio, Ergo naturalis etiam fuit illa Solis obscuratio, quæ in ipsum Passionis Christi tempus olim incidit.

Nam repetita rei alicuius recordatio, rei ipsi per omnia similis neque est, neque, vt sit, necessesse est.

Age verò, esto, vt aliquando in nostrum Pascha incidat nouilunium & eclipsis: ea vsitato fit naturæ ordine,

ordine, eò quòd Luna succedens infra & iuxta Solem, eum obscuret. Quæ verò in Christi passione accidit eclipsis, ea contra naturæ ordinem accidit idèò, quòd Luna tunc à Sole distaret toto cœli hemisphærio. Erat tunc plenilunium, ipsòq; meridie, Domino iam cruci affixo, Luna erat profundissimo subter terram loco. Crucifixerunt enim Iudæi Dominū nostrum, id quod ne ipsi quidem diffitentur, in suo Paschate, quod Pascha semper & celebrant, & celebrant in Plenilunio. Patet ergo, hæc tenebras non ex Luna, sed ex alia aliqua, eaq; inusitata & miraculosa existisse causa, & quidem, ut verisimile est, in sola Iudæa, quemadmodum & *Ægyptiacas* illas, Iudæis ex *Ægypto* excedentibus. Ethnici enim scriptores, quorum certè magna tunc fuit copia, licet multa alia leuicula annotarint, nullam tamen harū faciunt mentionē, haud dubiè facturi, si in alijs quoq; locis eæ extitissent.

Citat Eusebius Phlegontem quendam, qui in Bithynia, decimo octavo imperij Tiberij anno, quo ipso anno Christus est crucifixus, horrendam conspexerit eclipsin. Ut ut hæc sunt, fuisse hanc, de qua agimus, singularem & miraculosam eclipsin, ex eo fit manifestum, quòd totas tres horas durauerit, quanto tempore nulli vnquam in terris loco, totus Sol à Luna obducitur & obscuratur. Cùm primùm enim Luna totum obscurauit, mox eum conspiciendū rursus præbere incipit, donec paulatim & sensim pleno rursus ille fulgeat orbe.

Quod Dionysius Areopagita ex *Ægypto* Ephesum ad Polycarpum scripsisse fertur, vidisse scilicet

se, Lunam subito ad Solem affilisse, eumq; obiectu  
sui texisse, & post in pristinum redisse locum, de  
eo dubitare non arbitror esse piaculum. Siue iam  
dicto, siue alio modo hæc eclipsis vel tenebræ eue-  
nerint, certum est, eas miraculosas & minimè natu-  
rales fuisse.

Nemo igitur sanus Iudæus, Turcus, aut Ethni-  
cus hanc obrem nostrum tale Pascha reprehende-  
re aut cauillari iure poterit: nec est, quod metua-  
mus, ne hæc celebrandi Paschatis ratio, cum religi-  
one Christiana non congruat, eiq; incommodum  
aliquod & detrimentum adferat. Quocumque  
randem & tempore & modo Pascha nostrum ce-  
lebremus, nihil hoc vel addit, vel adimit historiæ  
passionis & resurrectionis Domini nostri Iesu Chri-  
sti. Cuius tempus & modus, quo gesta est, est &  
manebit, iuxta narrationem & testimonia scriptu-  
ræ, verus ad extremum vsque mundi finem, immò  
in omnem vsque æternitatem.

Mirum profectò est, quòd hîc vsque adeò cau-  
ti simus ac solliciti, qui in alijs huic similibus rebus,  
egregiè Christiana libertate & nostrorum commo-  
dorum studio uti nouerimus. Conuenimus in  
templum exercendi cultus diuini causa, die Do-  
minica, cum Christus in Synagogam ire solitus  
sit die Sabbati, & tamen verum & est & manet, hoc  
ita ab illo factum: Baptizamur in templo, nihil  
moti eo, quòd Christus in flumine baptizatus sit,  
nec tamen hoc idè falsum est: Coenam Domini  
celebramus manè ieiuni, quam tamen Dominus  
ipse & celebrauit & instituit vespere & sub noctem.

His

His sanè rebus satis ostendimus, nihil esse necesse, vt *ΜΗΝΑΜΟΝΙΑ* ceremoniæ adeò ad amussim cōgruāt cum re, quam repræsentant. Immò si Kalendarium eo, quo nunc est, statu permanebit, post multos aliquando annos fiēt, vt Pascha nonnunquam cum Nouilunio concurrat, quandoquidem iam hac nostra ætate, interdum non ita multum inter se distant, ne dicam, sæpè à nobis Pascha celebrari non illo, qui *Æquinoctio* est proximus, mense, vt oportebat iuxta veram obseruationem, sed in altero pòst mense, nec tamen hoc facere vlla nobis est religio.

Quare meo quidem iudicio, exposita iam obiectio nequaquam idonea est causā, cur Pascha ex vago suo & instabili loco non sit in Dominicam aliquam certam statimque constituendum, puta, in primam Aprilis Dominicam: quod certè propter multas iam allatas causas longè est melius & commodius, quàm vt nulla cogente necessitate, & sine vlla vtilitate, per tam varias tamque difficiles & perplexas obseruationes celebretur.

Atque hac ratione prolixæ illæ tabulæ & multiplices regulæ de quærendo Paschate, inutiles redderentur & obsoletæ. Quantum attinet ad ceteras Kalendarij in tali reformatione regulas, veluti, quomodo annus Bissextilis, littera Dominicalis, numerus aureus sit inueniendus, manerent illæ prorsus suo pristino loco & vsu.

Si cui etiam Epactas deinceps & inquirere & vsurpare libuërit, is necesse habuërit de summa illa, quæ oritur ex aurei numeri multiplicatione in vn-

decim, detrahere primùm 14, & deinde de residuo auferre triginta, quotiès id fieri potuerit, vt hoc modo residuæ fuerint Epactæ. Quòd si verò aureus numerus sit vnitas tantùm, tunc nimirum, ex multiplicatione existentibus tantummodò vndecim, addenda his erunt 30, vt euadant 41; à quibus ablata 14 reliquerint 27, Epactas illius anni, &c.

Iam quidquid Principes nostri hac in re vel agere vel omittere decreuerint, id cupio optòq; ab illis vniuersis vnanimi consensu fieri sine discordia & distractione, ne hæc pars, vt Papæ gratificetur, huc, alia, vt eidem ægrè faciat, aliò tendat, neue alteri in mutuum odium alteris cedere, seq; ad eorum institutum accommodare reculent.

Ex qua dissensione certissimè consequetur publicum ingens malum, & tristis ac deformis omnium & Spiritualium & Secularium, Ecclesiasticarum & Politicarum actionum & negotiorum perturbatio, idq; applaudente Diabolo, & Papa peculiariter sibi hac de re congratulante, quòd à quibus obedientiam non impetrârit, apud eos tamen distractiones & turbas excitauerit. Quod malum, prò dolor, iam pridem plus nimio inter nos obtinet, ideòq; nequaquam augendum, sed contrà minuendū potius, vel etiam prorsus è medio tollendum meritò effiet. Vetus est & verum nostras hoc verbum, Vbi concordia, ibi Deus.

Hæc est mea ab optimo profecta animo de Calendario sententia, an scilicet & qua via quàm minimo cū incommodo, mutandum emendandū inq; sit. Quam vt scripto hoc comprehenderem, par-

sim instituta iam Pontificia Reformatio mihi occasionem præbuit, partim etiam illorum, quibus meritò gratificari debeo, autoritate & iussu sum adductus. Si cui hæc sententia non placet, is nequaquam ad eam probandam, nedum accipiendam, cogitur. Liberum ei est suam peculiarem hac de re retinere sententiam, deq; ea pro suo iudicio & loqui & scribere.

Deus Optimus Maximus largiatur Principibus nostris, vt *ἡ βραχίον* in Ecclesia & Republica instituant, & institutam tuentur & conseruent, & vt nos vnà cum illis in vera Dei agnitione, inuocatione, & incorrupto cultu, quieti & concordæ, mutuòq; amantes & iuuantes, in hoc patriæ nostræ sexcentos iam durante annos statu viuamus, ne is, vt futurum videtur, vel intestinis distractionibus, vel securitate, & negligentia maturè & prudenter hostibus resistendi, cum summa omnium nostrum pernicie & irrecuperabili detrimento perturbetur & dilaceretur.

H. VV. R.

L. P. D.

} VV.





# GYRALDVS

*Dum nos secla, diēs, menses metimur, & annos,  
Obrepat tacito mors inopina pede,  
Qua feret aetherae domum, noctemue profundam.  
Acta tibi qualis, talis agenda diēs.*



Pagina 4. versu 11. lege, ipsa.

9. 20. admirationem & commendationem.  
 23. 30. calidum.  
 28. 8. nihili.  
 32. 8. faciunt.  
 ibid. fecerint.  
 ib. 17. indicia.  
 35. 23. minor; certum.  
 37. 1. annorum.  
 ib. 26. fuerunt.  
 ib. 32. Idem.  
 40. 22. quoue falso!  
 43. 3. inueniendum.  
 46. 1. εὐταξίαν.  
 47. 3. discendum.  
 48. 24. sex, interdum.

1025692

# HEIDELBERGAE,



M. D. LXXXV.



